

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Lunæ,
decimo-sexto Martii Anni M. DCC. XXXIII.

M. GABRIELE-ANTONIO JACQUES,
Doctore Medico, Præside.

An Aër calidus siccus, salubrior?

I.


MEDICINA curatrix, nulli obsequens, omnibus imperans, ratione & observationibus suffulta, stabilis, inconcussaque probatur existere. Certas leges suas habet & regulas, quibus totus subjicitur orbis. Scientia hæc præstantissima circa sanitatem occupata, dum præsentem servat, ὑγιεινὴ nomine insignitur, vel cum

amiſſam reſtituit, θεραπευτικὴ vocatur. ὑγιεινῆς ſumma laus eſto. Medicaminum neceſſitas & uſus propter erratum in vitæ ratione. Ter felix ille qui ſanus eſt & benè valet; ſorte ſuâ utatur, nec abutatur. A ſtatu ſano qui recedit, in eodem, aut non, vel ægrè nec abſque faſtidio reſtituitur.

I I.

SANITAS in functionum integritate poſita eſt. Dùm adeſt, actiones homini propriæ facilè, jucundè & cum quâdam conſtantiâ fiunt. Omne quod ſanitatem conſervat præſentem, id tibi ſalubre vocandum. Res non naturales proprium prophylaxeos objectum. Iſtud nomen audiunt, eò quòd humani corporis compoſitionem non ingrediantur. Sex vulgò numerantur. Aër, cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, excreta & retenta, animi pathemata. Hæc omnia ſalubria vel inſalubria fiunt. Cautio igitur in eorum uſu adhibenda; delectus etiam habendus. Has inter Aëris ratio magni momenti. Ab illo indeſinenter & neceſſariò corpus afficitur. Qui calidus & ſiccus eſt Aër præ cæteris ſalubrior. Dotibus ad ſanitatem ſervandam morboſve arcendos is magis præditus eſt, minoreſque noxas infert; talis igitur eligatur vel arte procuretur.

I I I.

LIQUIDI moles illa corpus noſtrum immediatè ambiens, quam inſpiratu ducimus, Aëris nomine intelligenda venit. Nullum in hâc ſenſili rerum naturâ fluidum virtutis efficaciâ præſtantiùs quàm Aër. Pondere is & elaterio maximè pollet. Sanitatis & morborum opportunus author Aër ſi plùs aut minùs vapore gravior, & morbidis ſordibus inquinatior ſeſe in corpus inferat. Nos extra premit undique circumfuſus, ac diverſimodè pro ſui conditione laxat, remollit, denſat, conſtringit. Non modò demerſus ille unà fertur in flumen ſanguineum, ſed ipſum etiam indeſinenter permeat inſpiratus & cum eo quoquoverſum in penitiorem partium compagem delabitur. In Aëre calido ſicco, purpureo vires qui capit ab ortu, feliciùs perſpiratio laudabilis, bona reſpiratio peragitur. Talis Aër nullo vapore

gravior quàm par est suo liberè gaudet elaterio, nec inquinatus sanguini labem inurit. Pulmonis indè facilior explicatio, in ejus vasis contenti laticis tritus fortior, divisio major. A pulmone in sinistrum cordis ventriculum, & à corde per aortam in omnes corporis partes sanguinis ejusdem validior impulsus, expeditior circuitus à quo secretiones pendent omnes.

I V.

SICUT maxima in Aëris delectu tutela sanitatis, ita morborum opportunitas. » Aër non modò externè pre- *Sanctor. Static. Sect. 2.*
» mens undique, sed per arterias in profundum corporis » penetrans, potest reddere corpus levius aut gravius: levius, » si tenuis & calidus juvando perspirationem; gravius, si » crassus & humidus eamdem prohibeat » Si quæras ergò undè ex anni tempestatibus siccitates assiduis imbribus sint salubriores, ratio est quia ubi corpora leviora functiones ejus cum alacritate fiunt. » Aër frigidus corpora debilia re-
» frigerat, eaque vincendo, ponderosiora efficit. Humores *Id. Aph. 1.*
» cogit, densat meatus, stringit; undè obstructio, exsiccatio, &c. sequuntur. Si idem nimiùm sit humidus, laxat, solvit, debilitat fibras; serum auget & indè tusses, peripneumoniæ serosæ, &c. Æstate senes maximè valent, hyeme frequens catharrus senile guttur opprimit. » Austri cum suis collate- *Lib. 3. Aph. 5.*
» ribus, inquit Hippocrates, calidi sunt & humidi, nubium » & pluviarum parentes. Idem, austrinæ tempestates cor» pora planè resolvunt & humidiora reddunt, tum etiam
» auditus graves, & capitis gravitates inducunt, totique *Aph. 17.*
» corpori in movendo difficultatem afferunt.

V.

A peculiari structurâ solidæ corporis partes habent ut influxu fluidi dimoveantur è perpendiculo, ut resiliant, ab Aëre; dum is non sincerus quidem, sed tenuibus quas è sanguinis penu sibi comites habet, particulis intricatus intrà fibrarum compagem, & intimos subit recessus, ibique coercetur ad motum, si comprimatur, paratissimus.

Sic eodem Aëre perfuſus ſanguis comprimi docilis & rareſcere, jugiter in motus agitur inteſtinos. Aëris & particularum ſanguinis æquabili in ſe mutuò potentiâ, niſuque ſtat hominis vita, ſanitas. Ex dictis ſupra patent Aëris frigidi vel humidi noxæ & incommoda : è contrariò calidi ſicci dotes eximiæ, undè concluditur.

Ergò Aër calidus ſiccus, ſalubrior.

Proponebat Pariſiis GASPAR COCHON DU PUY, Rupifortenſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1733. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.